

d. Trident. cap. 13, sess. 7, de Reformat. scitissimum est, in beneficiis utcumque simplicibus presentatos, seu electos, vel nominatos a quibusvis ecclesiasticis personis, etiam Apost. Sedis nuntiis, non debere institui, neque confirmari neque admitti, etiam praetextu cujusvis privilegii vel consuetudinis, etiam immemorialis, nisi prius fuerint ab ordinariis examinati et idonei reperti. Quod si institutio ad inferiores pertineat (nempe ex fundatione ante cit. concilium, vel ex immemorabili), presentatos, etiam a patronis laicis, in beneficiis simplicibus juris patronatus, ab episcopo prius examinari et approbari debere, alias institutio ab inferioribus facta esset nulla, ex eod. concil., sess. 25, cap. 9, de Reformat., compertum habemus.

Ubi vero institutio ad episcopum pertinet, in presentatis a Patronis laicis in ejus-

## INSTRUCTIO PAROCHORUM, ET ALIORUM CONFESSARIORUM.

## SUMMARIUM.

1. Afferitur finis ob quem traditur haec brevis instructio. — 2. Assignatur quid in primis agere debeant parochi alique confessarii ad quos accesserint poenitentes cum casibus ad sacram poenitentiarum spectantibus. — 3. Traditur formula scribendi eminentissimo cardinali majori poenitentiario pro dictis casibus. — 4. Explicatur et demonstratur quomodo sit intelligenda et in variis casibus concipienda dicta formula. — 5. Afferuntur exemplaria aliqua pro recursu in dictis casibus, ad n. 6. — 7. Dicta exemplaria inservire possunt, variatis variandis, pro omnibus aliis casibus qui in dies occurrere possunt. — 8. Adducitur forma litterarum dispensationis super impedimento occulto affinitatis post contractum matrimonium. — 9. Quomodo sit intelligenda prima clausula ipsius formulae. — 10. Quomodo intelligenda secunda. — 11. Quomodo tertia. — 12. Quomodo quarta. — 13. Quomodo quinta. — 14. Quomodo sexta. — 15. Quomodo septima, ad n. 16. — 17. Quomodo octava. — 18. Quomodo nona. — 19. Quomodo decima ubi, quod pars inscia nullitatis matrimonii debet certiorari. — 20. Non est tamen necesse quod certioratur de causa nullitatis. — 21. Alii volunt quod non sit necesse quod pars inscia certioratur de nullitate matrimonii. — 22. Assignatur pro nostra veriori et tutiori sententia aptissimus modus, qui inservire potest ad sufficienter insinuandam parti insciae nullitatem matrimonii, et ad evitaanda mala quae inde

(1. Cum saepe contingat poenitentes censuris, irregularitatibus, votorum obligationibus, matrimoniorum impedimentis, aliisque hujusmodi casibus reservatis ad sacram Poenitentiarum seu sanctam Apostolicam Sedem spectantibus, irretitos accedere ad parochos seu confessarios qui, praesertim in pagis aut locis ruralibus, viam ac modum recurrendi ad dictam sacram Poenitentiarum non plene et plane sciunt; indeque ipsis poenitentibus non parva ac pauca mala et incommoda obveniant, ad ipsa evitaanda traditur hic brevis instructio qua omnibus praedictis recurrendi modus ac via explanatur.

(2. Parochi igitur alique confessarii ad quos similes poenitentes accesserint, debent ipsos diligentissime examinare circa causas omnesque circumstantias suorum casuum; ipsisque bene perceptis ac caute perpensis,

modi beneficiis simplicibus juris patronatus non requiritur examen necessario; sed in arbitrio episcopi reliquit Tridentinum eodem examini subicere nec ne, per illa verba: « Ad haec liceat episcopo presentatos a Patronis, si idonei non fuerint, repellere. » Sic docet Garcias, de benef., part. ix, cap. 3, num. 9. — « Episcopus electos a Patronis potest examinare, et si non fuerint idonei, non tamen si idonei fuerint, conceditur libertas eos repellendi, » ait Barbosa ad concil. Trident. sess. 25, de Reformat., cap. 9, n. 74. In provisione vero beneficiorum juris patronatus misti, an examen a concilio Trident. in cit., cap. 13, sess. 7, de Reformat., praescriptum requiratur: vide Garciam loc. cit., ubi affirmativam videtur sustinere. Caetera remissive sub v. *Jus patronat.*, et v. *Scientia in Beneficiariis*.

oriri possent. — 23. Alii ab aliis adducuntur modi in quibus omnibus tamen semper requiritur, quod consensus pro novo matrimonio debeat praestari de presenti et in presenti. — 24. Talis revalidatio matrimonii non est necesse, quod fiat coram parochio et testibus. — 25. Quomodo sit intelligenda undecima clausula. — 26. Quomodo duodecima. — 27. Quomodo tertia decima. — 28. Quomodo quarta decima. — 29. Quomodo quinta decima. — 30. Quomodo sexta decima. — 31. Clausula gratis ubique, solita a tergo inscribi, quid importet. — 32. Adducitur formula absolutionis dandae, et dispensationis exsequendae super dicto impedimento occulto affinitatis ex copula illicita proveniente ad remanendum in matrimonio contracto. — 33. Confessarius potest absolvere et dispensare poenitentem, quamvis ante executionem dispensationis obtentae iterum copulam illicitam habuerit cum eadem sorore femina, quam ducere intendit. — 34. Secus autem esset dicendum si post obtentam ipsam dispensationem nondum exsecutam, dictus poenitens iterum copulam haberet, non cum eadem dicta sorore, sed cum alia persona intra secundum gradum conjuncta femina, quam ducere intendit. — 35. Dispensatio concessa, seu gratia facta a Poenitentiaria seu majori poenitentiario non expirat morte Pontificis, etiam re integra. Et si major poenitentiarius, alique poenitentiarii, Sede Romana vacante, moriantur, alii subrogantur a collegio cardinalium.

poterunt casus plene cum omnibus suis causis et circumstantiis expressos, reticito tamen nomine et cognomine poenitentis, scribere per simplex NN. in charta quocunque idiomate, sive latino, sive vulgari, ac nativo propriae regionis, cum sacra Poenitentiaria suos ex quacumque regione poenitentiarum subordinatos habeat: debebuntque in fine perfectae expositionis casus significare modum et viam per quam a sacra Poenitentiaria responsio secunda dirigi possit: notando videlicet oppidum, seu civitatem, dioccesim, et provinciam cum expressione nominis et cognominis cui sit rescribendum; quamvis tale nomen et cognomen sit fictitium, et casum sic expressum, cum data diei, mensis, et anni, poterunt directe per postam seu communem publicum tabellarium, mittere Romam eminentissimo

majori poenitentiario, in hunc modum.

*Eminentissime et Reverendissime domine,*

(3. NN. conscius (vel ignarus) impedimenti, contraxit in facie Ecclesiae matrimonium cum muliere cujus matrem, aut filiam, seu sororem prius carnaliter cognovit. Quare cum absque scandalo separari non possint, et impedimentum sit occultum, humillime supplicat pro absolutionis et dispensationis remedio. Dignetur Eminentia Vestra rescribere NN. in civitate N. Interim orator ad Eminentiae Vestrae pedes humiliter provolutus, et pro ejusdem incolumitate precans, silet. N., die 20 Jan. 1744.

(4. Advertendum hic est, quod loco NN. debet exprimi nomen et cognomen, quamvis fictitium illius cui a sacra Poenitentiaria est scribendum, et loco in Civitate N. debet exprimi nomen civitatis seu oppidi, et pro majori facilitate exprimi etiam cujus sit diocesis et provinciae. Et insuper valde expedit ut in epistola supplicetur quod eminentissimus poenitentiarius dignetur dirigere breve seu gratiam simplici confessario ex approbatis ab ordinario, maxime si in tali loco desint confessarii magistri in sacra theologia, seu Decretorum aut in jure canonico doctores, aut alii ad id privilegiati; vel si tales adsint, non possit de facili induci poenitens ad eis suam aperiendam conscientiam, et tandem, ut supra concepta, et scripta epistola, seu supplicatio debet dirigi cum hac externa seu a foris inscriptione.

*Eminentissimo et Reverendissimo domino Cardinali Majori Poenitentiario. Romae.*

(5. NN. vir laicus, seu femina libera emisit simplex votum castitatis perpetuae, sed cum adsit, vel futurum esse praevideat periculum incontinentiae, nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium. Dignetur Eminentia Vestra rescribere Caio Pamphilio presbytero confessario, in civitate Cremonae provinciae et status Mediolanensis, seu fracti Francisco Rubeo, a Turricella, sacerdoti professo Ordinis Minorum, in conventu S. Bernardini Alexandriae, provinciae Mediolanensis et ditionis ducis Sabaudiae, regis Sardiniae, etc. Interim orator ad Eminentiae vestrae pedes, etc. ut supra num. 3.

(6. NN. sacerdos contraxit excommunicationem et irregularitatem ex homicidio occulto ab eo ob talem vel talem causam, clam, tali modo patratum aut procuratum, in persona hominis diaconi, seu sacerdotis saecularis, aut regularis, et ex tunc, vitandi scandali causa, vel ne se proderet, semper libere, ut prius, continuavit in exercitio ordinum, aut abstinuit: sed cum diu absque scandalo abstinere non possit, humillime supplicat pro remedio. Dignetur Eminentia Vestra, etc., ut sup. n. 5.

(7. Et haec adducta supplicationum exemplaria possunt, variatis variandis, inservire pro omnibus aliis casibus qui in dies possunt occurrere. Unde poterunt confessarii, seu poenitentes, ipsis dictis exemplaribus instru-

cti, pro quocunque simili occulto casu consimiles supplicationes, tute et fidenter ad eminentissimum majorem poenitentiarium Romanum dirigere. Et si forte aliquando responsio tardaverit, iterum rescribere, ne forte prior epistola deperdita fuerit, sic firmiter certi, quod ad ipsum perventa eorum epistola, statim, gratis providebitur de opportuno remedio, quod solet expediri tenore sequentis formulae.

(8. N. tituli S... sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis discreto viro confessori, magistro in s. theologia, vel decretorum doctori ex approbatis ab ordinario, per latorem presentium ad infrascripta specialiter eligendo, salutem in Domino. « Ex parte latoris presentium nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias matrimonium cum muliere cujus sororem antea carnaliter cognoverat, publice in facie Ecclesiae contraxit, et successive consummavit; cum autem, sicuti eadem petitio subjungebat, lator praedictus ob impedimentum ex praemissis proveniens, in dicto matrimonio remanere nequeat absque Apostolicae Sedis dispensatione, ad evitaanda scandala quae, si divortium fieret inter eos, verosimiliter oriri possunt, ac pro sua conscientiae quiete, cupit a praemissis, quae sunt occulta, et de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicavit humiliter ut sibi super hoc de opportuno remedio providere dignemur. Nos itaque, qui Poenitentiariae Domini PP. curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate apostolica specialiter nobis concessa, discretionis tuae committimus quatenus, si est ita, dictum latorem, audita prius ejus sacramentali confessione, ac sublata occasione, si qua adhuc exstat, amplius cum dicta sorore peccandi, a quibusvis sententiis, censuris, et poenis ecclesiasticis, quas propter praemissa quomodolibet incurrit, ab incestu et excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiae consueta, injuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu gravi poenitentia salutari, ac confessione sacramentali peccatorum suorum singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur; et aliis quae de jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum praefatum sit occultum, et separatio inter latorem et praefatam mulierem fieri non possit absque scandalo, ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit, aliudque canonicum non obstat impedimentum, cum eodem latore et dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur matrimonium cum eadem, et uterque inter sede novo secrete ad vitanda scandala, praemissis non obstantibus contrahere, et in eo postmodum remanere licite valeant, misericorditer dispenses, prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientiae et in ipso actu sacramentalis confessionis tantum et non aliter, neque ullo modo; ita quod hujusmodi absolutio et dispensatio latori in foro judicario nul-

latenus suffragentur: nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis, seu processibus confectis, sed presentibus laniatis, quas, sub poena excommunicationis latae sententiae, laniare tenearis, ita ut nullum earum exemplum exstet, neque eas latori restituas; quod si restitueris, nihil ei praesentes litteras suffragentur. Datum Romae apud S. Petrum, sub sigillo Officii Pœnitentiariae. » (9. Prima clausula specialiter in ipsa formula observanda est sequens: *Discreto vero confessori, magistro in theologia, vel decretorum doctori ex approbatione ab ordinario per latorem presentium ad infrascripta specialiter eligendo.* Quae clausula, quomodo sit intelligenda quoad omnes qualitates requisitas ad hoc, ut aliquis aperire, et exsequi possit litteras dispensationis a S. Pœnitentiaria emanatas, habes sub verbo *Executor Litterarum Apostol.*, num. 39 ad 49. Vid. ibi.

(10. Secunda clausula nempe: « Discretionem tuam committimus, quatenus, si ita est, » etc., denotat quod executor debeat diligenter indagare veritatem precum, diligenter se solo absque testibus examinando pœnitentem, an revera matrimonium sit jam contractum, an impedimentum sit occultum, an scandala ex separatione probabiliter sint metuenda, seu an alia causa finalis allegata subsistat, et hujusmodi. Et si reperierit preces veritate niti, dispensare poterit; si autem reperierit veritate non niti, dispensare non poterit. Et ratio est, quia veritas precum est conditio requisita, tanquam necessaria forma, ad valorem dispensationis; unde si non servetur, invalida erit dispensatio. Sic communiter doctores argum. leg. *Diligenter* 5, ff. Mandati, cap. *Cum dilecta* 20, de Rescriptis. Non est tamen necessarium tale examen, si executor, sine ipso, certo, et indubitato sciat dictas preces veritate niti, ut tradunt passim DD. argum., cap. *Eum* 31, de Regul. juris in 6, ibi: *Eum qui certus est certiorari ulterius non oportet.*

(11. Tertia clausula nempe: « Audita prius ejus sacramentali confessione, » denotat quod confessorius ad exsequendam dispensationem electus, debeat prius pœnitentis confessionem sacramentalem audire, quia verba dictae clausulae conditionem important; l. *A Testatore* 109, ff. de Conditionib. et demonstrationib. Condicio autem dat formam omnino observandam: l. *Qui heredi* 44, et l. *Mævius* 33, ff. eod. adeoque dicta clausula, quoad confessionem a pœnitente praemittendam et a confessario electo audiendam, est omnino ad valorem dispensationis observanda: arg. l. *Diligenter* 5, ff. Mandati, cap. *Cum dilecta* 22, de Rescriptis; Corrad. in praxi dispensat., lib. viii, cap. 10, num. 31; Vincentius, de Justis de dispensat., lib. i, cap. 8, num. 196 et seq.; Gobat in Quinar., tract. 4, cap. 37, n. 176; Reiffenst., lib. iv, decret. in Append. de dispensat. § 9, n. 437 et seq., et ratione moderni styli Pœnitentiariae introducti tempore Pauli V, testibus Corrado, et Vincentio de Justis loc. c., jam omnes DD. communiter, quamvis ante dictum stylum varii scripserint contrarium.

(12. Quarta clausula: « Ac sublata occasione, si qua adhuc exstat, amplius cum dicta sorore peccandi, » indicat confessarium non posse dispensationem exsequi, nisi prius pœnitens talem occasionem proximam peccandi deseruerit, et se a tali incestu emendaverit, cum in formula dispensationis sit etiam ipsa posita tanquam conditio et forma necessario observanda per jura numero antecedenti adducta.

(13. Quinta clausula: « A quibusvis sententiis, censuris, etc., absolvas in forma Ecclesiae consueta, » denotat confessarium quoad absolutionem debere uti ea forma qua Ecclesia in foro sacramentali uti solet: Reiffenst. loc. c. n. 468; Gobat in Quinar., tract. 5, c. 37, n. 207; Bonac., disp. 1, de Legibus, qu. 2, p. 2, n. 19.

(14. Sexta clausula: « Injuncta ei pro tam enormis libidinis excessu gravi pœnitentia salutari, ac confessione sacramentali peccatorum suorum singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur, » significat quod confessorius debeat necessario injungere pœnitenti ut per totam vitam, ad minimum semel in mense confiteatur; dictio enim *ad minimum* idem significat ac dictio saltem, quae est implicativa, non limitativa. Barbosa de dictionibus dict. 253, num. 6; Reiffenstuel loc. c., n. 466; Gobat loc. c., num. 213 et 214, qui n. 22 concludit peccare mortaliter pœnitentem quoties in mense aliquo non confitetur saltem semel, argum. Clementin. *Ne in agro* 1, de statu Monachor. Reliqua autem gravis salutaris pœnitentiae opera, cum non sint determinata a sacra Pœnitentiaria, videlicet relicta arbitrio prudentis confessarii, qui ei imponat juxta qualitatem delinquentis; dummodo tamen talis sit, ut gravis dici possit; juxta verba clausulae: *gravi pœnitentia salutari*, Reiffenstuel loc. c., n. 467, ubi, inter alias pœnitentias injungendas assignat litanias, aut quinquies *Pater* et *Ave* singulis diebus per unum, duos, aut tres annos, recitanda, vel singulis hebdomadis rosarium per totam vitam, aut jejunium uno vel pluribus diebus in mense, in hebdomada, eleemosynam faciendam pauperibus, etc.

(15. Sept. clausula: « Dummodo impedimentum praefatum sit occultum, » denotat quod dispensatio non possit exsequi si impedimentum jam esset manifestum; alias esset invalida, etiam pro foro interno, ut tradunt communiter DD. cum super impedimentis manifestis dispensatio obtineri debeat a Dataria Apostolica. (16. Imo, si impedimentum occultum, super quo conjuges secreto dispensati jam fuerint, aliquo casu, temporis cursu publicari contingeret, dispensatio a confessario facta non juvaret. Et si tale impedimentum denuntiaretur parochi, quamvis certo sciret conjuges fuisse pro foro conscientiae secreto dispensatos, et ob id tutos esse coram Deo, nihilominus teneretur deferre dictum impedimentum ad ordinarium, qui, etsi sciret fuisse tales conjuges secreto dispensatos super dicto impedimento, si impedimentum probari posset per testes, teneretur ipsos

conjuges separare donec aliam dispensationem pro foro externo a Dat. Apostolica impetraverint: Corrad. in praxi dispensat., lib. vii, cap. 6, n. 33; Navarr., lib. iv, consil. tit. de privil. consil. 5, n. 7, in prima edit.; Sanchez, lib. iii, disp. 13, a n. 9; Basil. Pont. de Matrim., lib. v, cap. 36, n. 7; Vincentius de Justis l. c., lib. i, c. 6, a n. 175 ad 177, et cap. 8, n. 138 et 139; Felix Potest., tom. I, p. 4, num. 4244; Reiffenst. loc. c., n. 489, testans de communi.

(17. Octava clausula: « Et separatio inter latorem et praefatam mulierem fieri non possit absque scandalo, ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit, » mandat confessario ut solum dispenset, si, omnibus attentis, prudenter judicet conjuges nec sine scandalo amplius separari nec absque incontinentiae periculo ut frater et soror cohabitare posse. Quod scandalum in separatione, et periculum incontinentiae in continuatione cohabitationis, cum evitari ordinarie nequeat in similibus casibus, non est necesse ad dispensandum, ut confessarius nimium in his indaget, sed poterit tale scandalum et periculum sufficienter deducere ex praeteritis et praesentibus, aut alias, consideratis considerandis personarum ac rerum circumstantiis, et sic dispensationem exsequi, seu dispensare, Vincent., de Justis, l. i, c. 8, n. 178, et seq.; Sanchez, l. viii, disp. 34, n. 60. Lezana verb. *Littera Apostolica*, n. 30; Reiffenst. l. c., n. 470, et, ipso teste, alii communiter.

(18. Nona clausula: « Aliudque canonicum non obstat impedimentum, » vult quod confessorius non possit exsequi dispensationem, si cognoscat pœnitentem irretitum esse alio canonico impedimento praeter expressum in supplicatione, quamvis bona fide et ex ignorantia invincibili illud exprimere omiserit. Et ratio est quia dispensatio non datur nec data censetur, nisi super supplicatis et petitis, adeoque non potest extendi ad non expressa et non supplicata, ut tenent communiter doctores arg. cap. *Inter dilectos* 6, § *Ceterum, de fide instrumentor.*

(19. Decima clausula: « Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur » indicat quod ad valide exsequendam dictam dispensationem, et revalidandum matrimonium ratione impedimenti invalide contractum, etiam altera pars impedimenti inscia debet aliquo modo prudenter et caute certiorari de nullitate matrimonii prius contracti: Scotus in 4, dist. 35, quaest. unic. § *Respondeo*, vers. *Primus consensus*; Tambur., lib. viii, de Matrim., tract. 4, c. 7, § 2, n. 6 et 8; Pontius, de Matrim., l. iv, cap. 25, a. n. 2; Guttierrez, de Matrim., cap. 47, a num. 4; Bonacina, disp. 12, de Impedim. Matrim., sect. 14, concl. 2; Sanchez, lib. viii, disput. 36, n. 5; Navarr. in Manual., c. 22, n. 17; Comitolo, lib. i, resp. moral. qu. 120; Bossius, de Matr., cap. 2, a num. 74; Coninch., disp. 24, dub. 10, num. 90; Aversa, quaest. 11, de Matrim., 4, vers. *Quantum ad tertium*, Castropal., disp. 2, de Sponsalib., qu. 7, § 2,

num. 3; Cardenas d. 2, num. 673; Busemb., lib. vi, tract. 6, cap. 3, dub. 3; La Croix, lib. vi, part. 3, num. 114; Gobat in Quinar., tract. 5, cap. 37, num. 144; Leo in Praxi ad Litteras Pœnitentiariae, part. ii, pag. 251; Felix Potestas, tom. I, part. iv, a n. 4247, et seq.; Reiffenstuel loc. cit., § 13, n. 587, testans de communi aliorum contra Henric., Hildesm., et alios, apud Sanch., l. ii, disp. 36, n. 2, relatos. Et ratio est quia dicta clausula, cum sit in ablativo posita, conditionem necessariam importat: arg. l. *A testatore* 109, ff. de Conditionib. et Demonstrat.; l. *Si debitor*, § 1, ff. Quibus modis pignora, adeoque est necessario observanda; arg. l. *Diligenter* 5, ff. Mandati, c. *Cum dilecta* 22, de Rescriptis. Tum quia matrimonium prius invalide contractum non potest novo consensu revalidari, nisi utraque pars sciat nullitatem ipsius, cum voluntas non feratur in incognitum, ex Aristotele 2, de Anima comment. 39, et nihil incognitum sit volitum, ex S. Augustino 13, de Trinitate, et l. *Cum Aquiliana* 5, ff. de Transactionib., cum similibus. Tum etiam quia, teste doctissimo P. Comitolo, l. c., sic expresse respondit Clemens VIII, specialiter ab ipso super hac controversia consultus, nempe « esse necessarium novum consensum utriusque, admonito prius marito de matrimonii nullitate. » Tum tandem quia hic agitur de valore sacramenti. Unde quamvis contraria opinio esset probabilis, cum nostra sit vere probabilior ac tutior, et alia minus probabilis ac minus tuta, sequenda est nostra, alia relicta, utpote subjecta damnationi factae ab Innoc. XI, die 2 Martii 1679, in 1 propositione, ut advertunt Cardenas in 2, Crisi disp. 2, a num. 669; La Croix l. cit., n. 814; Reiffenst. loc. cit., n. 605, et alii.

(20. Non est tamen necesse ut pars conscia certiore partem insciam de causa nullitatis matrimonii, seu ei revelet quale fuerit impedimentum, ut tenent communiter DD.; sed sufficit si dicat aliquid ad valorem defuisse, seu dicat se sufficientem consensum non habuisse, quod revera sine mendacio dicere potest, quia consensus ratione impedimenti invalidus revera non est sufficiens ad valorem Matrimonii, cum consensus invalidus reipsa non sit consensus, eo quod invalidum esse et non esse paria sint: arg. l. *Quoties* 6, ff. Qui satis dare rogantur; l. *Si non se obtulit* 4, § 6, ff. De re judicata; l. *Duo sunt Titii* 30, ff. de Testamentaria tutela. Sic Cardenas loc. c., num. 676; Sanchez, lib. ii, disp. 36, num. 7; Reiffenstuel loc. c., n. 596; Felix Potestas loc. c., num. 4249, vers. *Addit.*; La Croix loc. c., n. 814, in fine, testans de communi.

(21. Sunt tamen graves alii doctores qui tenent, requiri quidem ad revalidandum dictum nullum matrimonium utriusque conjugis consensum, sed non esse necesse ut pars inscia certioretur de nullitate prioris consensus, volentes quod sufficiat, si pars conscia obtineat a parte inscia, ut pro sua scilicet partis consciae consolatione renovet consensum jam factum, et renovante parte inscia, renovet etiam ipsa pars conscia. Et